

In
Solemnia scholastica,
quibus
Nobilissimus & Pereximius
Juvenis,
**JOHANNES ERNE-
STUS HERTZO-
GIUS,**
Zittav. Luf.

GYMNASIO ZITTAVIENSI

d. II, Nov. post hora VIII. matur. An. clō lccc XXXIV.

vale suum dicturus est,

& in

ACADEMIAM VIADRINAM

abiturus,

De

Encyclopædiā uniuersali

præfatur,

eaque

**HERTZOGIANI NOMINIS
PATRONIS, FAUTORIBUS
& AMICIS,**

humanissime commendat,

Godofredus Polycarpus Müller.

Gymn. Direct.

Z I T T A V I Æ

Literis Johannis Christiani Stremelii,

Hist. Saxon.

H.

749, 24

Hist. Sax. eccl. 752.

1734.



Um uaria sint rerum diuinarum humanarumque studioso homini, in academias abeunti, ad prouehendam amplificandamque doctrinam scitu necessaria; tum uel maxime omnium doctrina erudita partium conspectus, & naturæ ordine facta combinatio, cum singularum historia breui & subsidiis optimis, requiritur. Absque enim hac si homines studiosi academias uel ingrediuntur, uel in iisdem artis suæ aut facultatis, quam dicunt, late diffusas doctrinas sitiententi animo hauriunt; & discendi prudentia, & eligendi, diiudicandi, prouehendique semet & colligendi optima quæuis, tamdiu destituuntur, donec hanc de corporis totius eruditi membris & nexibus disciplinam acceperint. Parit hæc magnum doctrinæ & disciplinæ academicæ compendium: fontes aperit rerum incongnitarum: præparat animum discendis utilissimis: rationes & tempora studiorum moderatur: conciliat in tota uita erudita prudentiam: doctorum uirorum & librorum historiam ad usum disponit, & in emolumentum uertit: imo cuiuslibet facultatis eruditos uniuersæ humanæ sapientiæ, quæ in cunctis sui partibus semper una est, reddit participes. Quotquot suis tantum rebus cuiuscunque facultatis eruditæ semet ita manciparunt, ut alias sapientiæ humanæ partes uel ignorent, uel alto despiciant supercilio, mutui illius inter omnes sensus & consensus ignari; nec ueram ac solidam uerius illius sapientiæ comprehensionem intellexere, nec eruditi orbis arcana disciplina unquam initiantur. Quam quidem utilitatem, ex totius humanæ sapientiæ conspectu, & concinna coordinatione, prodeuntem illi jam diu sensisse uidentur, qui magno & subtrili ingenio, licet non pari cum emolumento, disciplinarum uel unius, uel plurium aut omnium, facultatum eruditarum encyclopædias scripserunt: de quibus breuiter exponere constituimus, ut illi, quem ex Gymnasio in Academiam dimittimus, carissimo nobis HERIZOGIO, ultimum quasi & diligentia suæ ac probitatis, & amoris in eum nostri, testimonium exhibeamus. Quæcunque de studiorum & disciplinarum circulo tradita sunt, mittimus lubentes: nec recensere encyclopædias attinet, quæ multæ prodierunt. Dedit harum quasdam, & interposito iudicio descripsit, clarissimus uir Dan. Georg. Morhofius, Polyhist. Liter. L. II. C. VII. inter quas eminet doctrina Joh. Henr. Alstedii, & Keckermanni: reliquorum enim, quos affert, scripta uix ad encyclica referri posse arbitrarer. Etenim Sorellus, scientia uniuersali (science uniuerselle) breuiarium potius philosophiæ, quod dicimus, quam artium & scientiarum circulum, & inter circuli partes concatenatam seriem aut subordinationem, sistit. Joachimo Fortio Ringelbergio, à Morhofio iure laudato, forsitan ne quidem in animo fuit disciplinam encyclicam exhibere, eum opera sua (Lugduni 1556.) ederet: neque enim nectit hæc, quæ tradit: neque alia affert, quam linguarum, artium quarundam & mathematicarum doctrinarum, rudimenta. Studiorum consilia, quæ hinc inde interspersa sunt, uiri ingenium probant, & quod supra uulgus sapiat. Nec cum Goldasto contendam, qui de encyclopædia peculiarem librum molitus ἐγκύκλια ueteribus μαθήματα proprie rudimenta, pueris tradenda, fuisse probare uoluit. (Morhof. c. I. n. 105.) De natura uera & academicæ encyclopædiæ, & de duobus hanc in rem editis libris, parum apud nos cognitis, aut parum æstumatis, breuiter & ordine, ac quasi encyclice, disseram. Equidem non diffitemur, scholasticas ueterum institutiones, formandis in puerorum animis artium rudimentis destinatas, prima tantum earum stamina, ut integrum quasi in semine corpus, continuisse, siue ἐγκύκλια μαθήματα. Sed alia res est, aliusque finis, ad quem recentiorum academia in primis encyclopædiæ formatae & editæ fuerunt. Instituire de uniuerso doctrinæ eruditæ & academicæ regno, aut de præclaris ejusdem prouinciis, suos uoluerunt: omnes itaque disciplinas, quod ad materias principes, uelut idea delineare: ad eas facilius discendas & animo comprehendendas uiam monstrare: & demum omnium ex se inuicem nexum ordinem exemplo exhibere. Quibus quidem finibus an editæ à uariis encyclopædiæ latisferint, id quidem non facile dixerim. Illis sane, quæ editis tabellis constant, tantum succi non inest: & uereor, ne illæ Hexologia ac Horistica Osseologia potius doctrinæ eruditæ sint, quam corpora, suis membris, carne & succi plenis, elegantius exstructa. Ad perfectam itaque encyclo-

encyclopediam academicam, quam uel in academias destinato, uel in iisdem cum laude versanti, commendare licet, *quinque* requirerem. Breuem cuiusuis disciplinae *ideam*, & ita cuiuslibet facultatis eruditæ, qua falsa aut inadæquata ejusdem idea redarguitur & deletur: *historiam* omnis disciplinae & facultatis breuissimam, sed certissimam: *requisita* ejusdem, & ex his perfectam illius disciplinam: *impedimenta*, quibus uel corrupta & labetactata tuit, uel oppressa penitus: *instrumenta & artes*, quarum beneficio probe cognosci potest, & cognita perfici: *combinationem omnium* inter se, & ita sapientiae academicæ uniuersæ, ex certis rationibus conclusam & demonstratam. Quod si addi his posset in singulis disciplinis *librorum* de qualibet editorum, nostra minimum ætate optimorum, *bene disposita series*, adjectis ubi opus est modestis uel iudiciis uel censuris; omnes me iudice numeros impleret ita digesta encyclopædia, usibusque & augmentis perpetuis accommodata esset. Atque huic descriptæ notioni encyclopædiæ subjungimus *duos* ejusdem *scriptores*; nostræ confessionis unum, pontificiæ alterum. In quibus non tam dotes illas, quas in encyclopædia requisiuimus, quam singularia quædam & propria spectamus, ad condendas eiusmodi institutiones eruditionis obseruatu digna. Accedit, quod huius utriusque libri inter encyclopædiarum scriptores, à nonnullis collectos, ne uestigium quidem inuenerimus. Prodierunt nimirum *Lubeca An. MDCLII. Abraham Calouii D. Encyclopædias disciplinarum realium Idea, philosophiam uniuersam, Facultates superiores, ut & organon ὀργάνων logicam facie sua genuina representantes, Fol. Tabul. XXIV.* Præmisit typum encyclopædiæ generalem; & in præfamine quædam vindicauit, quædam interpretatus est. Liber hic inter scripta Calouiana fere omittitur, nunquam magnam adeptus famam: qui enim *encyclopediam mathematicam* Calouii recensuit, ante hanc uniuersalem encyclopædiam editam, hanc ipsam præterit diligentissimus *Hennigius Witte. (Diarii Biograph. An. 1686, n. 25.)* Dederat quoque jam ante autor noster prelo *Gnostologiam, Noologiam, Metaphysicam diuinam*, & plura scripta systematica philosophiæ, junctim postmodo edita: quæ tamen cuncta uel theologorum scriptorum copia famam perdiderunt, uel ipsa non sustinuerunt. In hoc quidem libro uniuersæ eruditæ cognitionis systema incipit à *Gnostologia*, de rebus, intellectui humano ad cognoscendum obiectis: sequitur *Noologia*, siue de primis cognoscendi principiis doctrina: subiungitur *metaphysica*, cui affectionum disiunctarum entis, partis specialis metaphysicæ, qualitatum & horistices, typos addit. *Horistice* determinat partes eruditionis, & singulis limites ponit. Hunc apparatus excipiunt *typi quatuor facultatum*: agmen claudit *methodologia*, & demum *logica* typus. *Gnostologiam* quidem & *Noologiam* ad logicam plurimi retulerunt, & utramque hoc non nine reiecit *Morhofius: (c. I. n. 10.)* logicam systemati eruditionis præmiserunt plurimi, non uero subiunxerunt demum cum Calouio. Ast uti de rebus cognoscendis, & primis cognoscendi principiis, doctrina rectius ad metaphysicam refertur, quæ entis naturam & diuersitatem erudita cognitione interpretatur; ita nemo est, qui non intelligat, logicam nostræ ætatis ampliorem metaphysicæ partem sibi adsciuisse, metaphysicæ reddendam. Logica uero, si intellectus uitis medetur, & omnium rerum cognoscendarum cognitionem eruditam tradit, uel Calouio iudice uon prima, sed ultima, doctrinæ eruditæ, & systematis philosophiæ, pars erit. Deest huic Calouianæ Encyclopædiæ *Grammatica & Rhetorica*, cum omnibus, quæ exin sequuntur: sermocinatrices enim has disciplinas esse putat: quibus opponerentur reales, quas sistere solas uoluerit. Rhetoricam non habeo disciplinam sermocinatricem: nolo tamen disceptare: differui de his alibi prolixius. Desunt quoque *artes plurimæ*, quas per causas connectere, & doctrinæ eruditæ corpori suo loco adiungere, non tam facilis & perfunctoria res est. Hæc omnia ad uniuersalem encyclopædiam academicam pertinere, ne exercitationibus quidem corporis & ludis exceptis, sufficit. Prodiit de *Cognitionibus liber unus, auctore Ferdinando Caccia, Bergomate. Romæ 1719. 4.* Modicus liber, & pontificiæ disciplinæ accommodatus: ea tamen libertate scriptus, quæ ingenium liberale, licet iuuenile, & nobilem in emendanda & perficienda eruditione uniuersa audaciam, prodit. De autore plura mihi scripta aut fata cognita haud sunt: ad Mediolanenses tamen illos *Caccias* mihi referendus uidetur, inter quos *Fridericus* jam an, 1693. Archiepiscopus Mediolanensis,

& de;

& Idem Cardinalis emineat. Multa huic scriptori propria sunt: sed pauca damus. Cognitiones humanas, siue cognoscendi rationes, diuidit: ut secundum has omnes uulgaris & eruditæ cognitionis partes coordinet. Omittit quidem artes: sed nexum earum hinc inde innuit, quo in circulum quasi cum aliis doctrinis cogi possint. Nomine philosophiæ late sumtæ comprehendit theologiam, iurisprudentiam, medicinam &c. Theologiam describit, (p. 120.) quod illa sit philosophiæ species, quæ uersatur circa res diuinas: siue quæ docet id, quod de Deo, ac de rebus diuinis prædicari, atque ad easdem referri potest. *Titulos XXX*, comprehendit liber: cumque non sit tabellis inclusus, quæ inutili sæpe partitione & diuisione rem omnem eneruant, plus succi habet, & interdum bene monet: satis ubique ingenuus, si pontificiorum præiudicatas opiniones excipias. Prodierunt nostra ætate uariis titulis *encyclopiæ academicæ longe præclariores*, homini studioso cuiuscunque generis utiles imo necessariae; quibus nos ipsos quondam *prudencia academica* in lucem edita adiungere tentauimus. In hoc ipso libro quosdam, ante annum 1711. celebres, adduximus scriptores: sed post ea tempora plures prodierunt, inter quos ultimus est clarissimus Jenensium Professor, *Martinus Schmeitzelius*, edita, *Introductione in historiam eruditionis*. (*Versuch zu einer Historie der Gelahrtheit*, Jena. 1728. 8.) Multis nominibus commendandus est autor: utilitatem & necessitatem huius generis librorum approbavit sub libri initium: de encyclopædiis agit *C. V. §. 5. 6. pag. 226. sq.* Scriptores antiquiores & recentiores exhibet in fine libri, *p. 902. sq.* Sed ut oratio nostra eo, unde orsa est, & quasi in circulum redeat; ad abeunem in *Academiam, Herzogium nostrum*, reuertimus: cuius uita in Gymnasio exacta, & animus probe cultus, academicæ uitæ curriculum felicissimum, & in quibusuis doctrinis eruditis accessiones optimas, pollicetur. Quin imo spes est fore, ut encyclopædiis illis academicis, quas quidem recentiores uel maxime adornarunt, summo cum fructu, & intimo in uniuersalem illam & unicam sapientiam aslectu, utatur. Satus quippe illis *parentibus*, qui in utraque republica ad summa contenderunt; sapientiæ uirtutumque exempla, non e longinquo petita, aut ex remota antiquitate colligenda, eoque minus efficacia, sed *domestica*, sed uita & præsentia, quotidie cum uoluptate intuetur. *Auus enim paternus* in ecclesia, quæ *Zittauia* Christo colligitur, primas tenuit partes, ministrorum ecclesiæ, & sacri huius chori, dux & antesignanus. *Patri uero Magnifico, Excellentissimo & Consultissimo*, ciuili apud nos ordinis summa commissa sunt; ut sagaci prudentique animo urbem *Consul* regat, & sapientia ac uirtute *Gymnasium Scholarcha*. Promptum & alacre ingenium in *Johanne Ernesto*, studium indefessum, animum probum & ad bona quæuis flexilem, experti semper sumus: quibus amorem in se nostrum facile prouocauit, amorem in nos suum, quem perpetuum speramus, multis experimentis testatus est. *Latina gallica & patria lingua, oratoria & poetica arte, logica & historis, religionis* quoque purioris doctrina, *declamationibus* denique & *disceptationibus*, omnes illos limites emensus est, quos *Gymnasium nostrum* admittit: Jam *Magnifici Parentis* iussu publicum in *his omnibus examen* subibit: *latina Oratione* in omnes pietatem suam exponet. *Carmine demum patrio* patriæ dulcissimæ gratias & uota persoluet. Quibus quidem nostra læti & lubentes adjungimus uota, ut animo semper tranquillo, & ad tempora quæuis composito, uitam transigat: sapientiæ & prudentiæ præceptis cultissimus redeat: ac demum patriæ ac parentibus aliquando euadat emolumentum, columen, solatium, gaudium. Sex aderunt *Juuenes nobilissimi & ornatissimi*, socio suo, sed diuinis auspiciis abeunti, fausta quæuis precantes:

Gottfried Theodosius Müller, Ilmenau, Henneb. Carmine Latino.

Liebmann Pilgrim Zeisold. Königsb. Boruss. Carmine Germ.

Carol. Christian. Hoffman. Zitt. Lus. Oratione Lat.

Carol. Gottlob Heidrich. Reibersd. Lus. Orat. Germ.

Joh. Ernest. Gottschling. Metzeb. Siles. Orat. Gall.

Carol. Gottfr. Kiesling. Zitt. Lus. Orat. Lat.

Optamus nobis præsentem optimorum virorum circulum, & quasi eruditum *Zittauia* orbem, *Viros* autoritate & prudentia excellentissimos, maxime reuerendos, amplissimos & doctissimos, *HEGTZOGIANI* Nominis Fautores & Amicos: quibus, humanissime à nobis inuitatis, & omni honore excipiendis, *HERTZOGIUM nostrum*, & omnia nostra, optimo animo commendamus.

